



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **De Phiala Reliquiarvm S. Agathae Virginis Et Martyris Dissertatio**

**Wiltheim, Alexandre**

**Augustae Trevirorum, 1656**

Nobili Et Amplissimo Viro D. Christophoro Binsfeldio, In Provincia  
Lvcilibvrgensi Regio Senatori, Toparchae In Dalaheim, Alexander  
Wilthemivs S. I. S. P. D.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10156**

NOBILI ET AMPLISSIMO VIRO  
**D. CHRISTOPHORO BINSFELDIO,**  
 IN PROVINCIA LVCILIBVRGENSI  
 REGIO SENATORI,  
 TOPARCHÆ IN DALAHEIM,  
 ALEXANDER WILTHEMIVS S. I.  
 S. P. D.



*V*M *Phialam antiquam*, V. A. à nobis aliquando inscriptam, tibi pro ingenij tui amœnitate placuisse memini, tum simul intelligo hanc quoque phialam nomini patrociniòque tuo dedicandam. Sed ludus ille erat: hîc seria, imò sacrosancta omnia. Quò propensiore animo te accepturum scio. Sacra enim toto admittis pectore: profana illa, iucundè interdum delibas; in illis conquiescis: in his subindo post forenses curas diuerticulo quodam exspatiaris. Quanquam est artificij tui, religionem tuam insigni modestiâ tegere: contrà verò studium rei antiquariæ penè ad iactatiunculam prodere. Testes mihi horti tui elegantissimi, vbi legere est **MAGNIAS MAXIMIOLAS, GERMANIAS GERMANIOLAS, MATERNIOS MARINOS, CENSORINAS, FAVSTINAS:** spectare autem viros penulatos, matronas stolas, milites armatos, dracones peruigiles adituum custodes, ascias sepulchrales, lestifernia, Genios, Cereres, Dianas, Fortunas, Apollines, Perseos, Andromedas, Hercules, cippos, aras, mensas, & sexcenta antiquitatis Romanæ monumenta; testes mihi cultissimi tui Musæi recessus, vbi vrnæ, disci, phialæ, lucernæ, nummi consulares & imperatorij, Græci, Latini. Quid de toparchiâ tuâ Dalaheimianâ dicam, quæ ipsam penè antiquitatē gremio quodâmodo complexa, tibi

feruat, tibi fouet? Ibi quippe ad viam militarem Diuoduro Mediomatricorum Treuiros tendentem, castrorum Romanorum ruinae, innumera priscæ ætatis cimelia profundunt, quæ tu, si quando rusticatum ex vrbe progredieris, animi causâ inquirere, colligere, & ceu fructus tui fundi in horrea illa tua, hortos, inquam, & Musæum tuum, condenda reportare soles. Hæc omnia studia tua qui viderit, totum te in istis esse, forte suspicabitur. At nos, qui te familiariter nouimus, hæc inter ioca tua à te reponi, & sacris longissimè postponi, probè scimus. Et quoniam clanculum tibi soli & Deo, quam publicè, religiosus esse mauius, velificabor modestiæ tuæ, nec prodam arcanum illud tuum, nisi quod famæ quæ tuam vbiq; probitatem pietatemq; celeberrimè prædicat, silentium imponere non possum. Cum sit ergo tibi cultus diuini summa publiceq; testata cura, admittes hanc phialam nostram, non solum quod antiqua est, & ad genium tuum facit, sed multò maximè, quod S. AGATHÆ Virginis & Martyris lipsana sanctissima continet. Reliquum est vt ipsa gloriosa Martyr tibi sit volens, propitia, eoque magis, quod tuo patrocinio tot cultoribus augebitur, quot erunt huius dissertationis nostræ lectores. Vale. Luciliburgi, V. Nonas Octobres, anno MDCLV.

DE